Universitätsbibliothek Paderborn

Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis, quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, & praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque obeundi

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

Oratio III. ad Spiritum sanctum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-50863

Visual Library

tentationes reprime, dæmones repelle, ut omnibus hoſtibus meis detriumphatis, in pace deinceps vivam, atque in ſanctitate & juſtitia ſerviam tibi omnibus diebus. Tantùm dic verbo, & ſtatim omnipotentiam tuam in his omnibus experiar. Amen.

Oratio III. ad Spiritum ſanctum.

O Sancte Spiritus, infinita Bonitas & Amor immenſe, fons ſanctitatis; ſanctifica obſecro, domum iſtam, quam ingredi & viſitare modò dignatus es. Effundo coram Te animam meam imperfectam, ut tuâ eam ſanctitate perficias: patet tibi malitia cordis mei, Bonitas tua eam corrigat: tu noſti tenebras animæ meæ, dic ut in ea fiat lux & ſtatim illuſtrabitur. Tu vides teporem meum; ignis ille tuus divinus me exſtimulet: jube in me quod volueris, & ſtatim quod juſſeris perficietur. Qui cum Patre & Filio vivis & regnas in ſecula. A.

Oratio IV. ad Patrem.

O Pater Æterne! Pater luminum, à quo omne datum optimum & omne donum perfectum deſcendit: datum optimum per excellentiam eſt Filius tuus; & donum perfectum per excellentiam